



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ad Leonem X. Pontificem Maximvm**

**[Straßburg], 1519**

**VD16 L 3409**

Corollarium II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34717**

R. P. MARTINI LUTHERII DE PRAEPA

Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Et Psalmo 106. Quia satiauit animam inanem, & animam esurientem satiauit bonis. Bona uero quæ sunt alia quam illa, quæ Galat. quinto recitat Apostolus. Fructus spiritus sunt charitas, gaudium, pax, patientia, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, longanimitas, modestia, continentia, castitas. In ihs si te sentis deficere, & gemis, optasq; illa obtinere, securus accede. Nusquā em inuenies illa nisi in isto sacramento.

C O R O L L A R I V M I.

Optima dispositio est, nō nisi ea qua pessime es dispositus & econtra, tunc pessime es dispositus, quādo es optime dispositus. Quod sic intelligit, qd quando sentis te miserrimū & egenū gratia, iam eo ipso capax es gratiæ, & idoneus maxime. Rursus plusq; mortem & infernū timeas, ne quando ilc accedas, ut tibi dispositus uidearis ac dignus, quasi allatus deo cor mundū, qd potius ibi fuerat querendū & recipiendum. Stat firma & insolubilis sententia, Non est opus medico bene habentibus, sed male habentibus. Nam sicut non tunc, ita nec nunc C H R I S T V S uenit uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiā. Ideo pœnitentia potius post ī ante sacramentū digne peragit. Deus tuus, est honorū tuū non indigens, sed honorū suorū largus ī te, uenit ad te

C O R O L L A R I V M II.

Magnus & perniciosus error est, si quis accedat ad sacramentū, ea nixus fiducia, qd confessus est, qd non est sibi conscientia mortalis peccati, qd oratiōes & præparatoria sua præmiserit. Omnes ī iudicium sibi manducant & bibunt, quia ī oibus non fiunt digni neq; puri, imo per eam fiduciam puritatis peius poliuntur. Fiunt autē puri per fidem, ut sequit.

Quinto, id cura, ut cum plena aut saltem possibili fide accedas, certissime confidens tete gratiam cōsecuturum. Tamen enim accipies, quantum credis te accepturum. Sicut C H R I S T V S ait, Quicquid orantes petieritis, credite qd

## RATIONE AD EVCHARISTIAM SERMO

accipietis, & fiet uobis. Et iterum dicet tibi illud. Fiat tibi si  
cut credidisti. Si enim accederes sine ista fide, iudicium tibi  
omnino acciperes & mortem. Sic enim in omni alio sacra-  
mento non nisi illusio & fictio agitur, si sine fide suscipitur,  
quod est horrendum. Hæc itaq; fides sola & summa ac pro-  
xima dispositio, facit uere puros & dignos. Quia non nitit  
tur in operibus aut uiribus nostris, sed in purissimo, p̄iissimo  
firmissimoq; uerbo CHRISTI, dicentis, Venite ad me o-  
mnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiā uos. Et ite  
rum, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam isti sa-  
turabuntur. Fides em̄ est, quæ iustificat, purificat, dignificat.  
Et Actuum decimoquinto, Fide purificans corda eorum.

### C O R O L L A R I V M III.

Quicquid sit de cōtritione tua, de pœnitentia uera uel falsa, illud maxime stude, ut in præsumptione istorum uerbo-  
rum CHRISTI accedas. Et sic accedens illuminaberis, &  
facies tua non confundetur. Vel matrem eius noli menda-  
cem facere, ubi dicit, Esurientes impleuit bonis. Et multo  
magis, ne ipsummet dominū arguas mendacij, ubi promit-  
tit, Venite ad me omnes. Argues aut̄ mendacij, si non credis  
eum ita facturum tibi sicut promittit. Ideo infidelitas est ma-  
ximū peccati, & recta blasphemia in charitatem diuinam  
Sexto, Si sentis te nec ista duo posse, uel satis posse, si uere  
senties, si te ipsum probes, hic non uerear is cum Apostolis  
dominū orare, Domine, adauge nobis fidem. Et cum illo pa-  
tre dæmoniaci, Marci nono. Domine, adiuua incredulitatē  
meam. Sic intra in cubiculū tuum, & dic patri tuo in cœlis,  
Ecce mi domine IESV CHRISTE, miseriam meam re-  
spice, inops & pauper sum ego, & tamen adeo fastidiosus  
medicinae tuæ, ut nec diuitias gratiæ tuæ suspirem. Accen-  
de in me domine desyderium gratiæ tuæ, & fidem promis-  
sionis tuæ, ut non offendam te optimum deum meum, per  
uersa mea & incredulitate & saturitate mea. Ac sic accede

V iiiij